



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

I. Investigandum nunc est an Vicariatus Thessalonicensis datus Ecclesiæ fuerit, aut singulis Episcopis. Iva Carnotensis ait personale privilegium fuisse, non generale decretum. Contrà nonnulli putant ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15617**

## CAPVT XXII.

## Synopsis.

*I. Investigandum nunc est an Vicariatus Thessalonicensis datus Ecclesie fuerit, aut singulis Episcopis. Ivo Carnotensis ait personale privilegium fuisse, non generale decretum. Contra nonnulli putant sic concessum fuisse privilegium ut revocari non posset.*

*II. Distinctio privilegiorum in personalia & perpetua; quae probatur illustri loco sancti Gregorij. Consuetudo bona obrinet vim legis. Vicariatus apostolice sedis tributus fuit Ecclesie Thessalonicensi. Refellitur Holstenius, qui aliter senserat.*

*III. Istud probatur auctoritate Bonifacij I. Celestini I. & Sixti III.*

*IV. Ultima verba epistola Sixti explicantur, quae tangunt causam Perigenis Corinthiorum Episcopi. Tum ex ea epistola manifestè colligitur vicariam illam dignitatem Ecclesia Thessalonicensi fuisse conjunctam.*

*V. Idem Sixtus hinc concludit omnes Illyricanas Ecclesias pertinere ad curam Thessalonicensis antistitis, quisquis is tandem fuerit. Idem probatur auctoritate sancti Leonis, qui explicatur, item Bonifacij. Hormisdas loquitur de privilegiis Ecclesie Thessalonicensis.*

*VI. Itaque cum sequentes Pontifices aiunt se vices suas Thessalonicensibus Episcopis committere secundum morem, intelligendum est illos firmitatem rebus iam constitutis tribuere, non verò personam concedere auctoritatem cum persona interituram.*

*VII. Auctoritatem illam fuisse perpetuam probatur etiam ex Nicolao I.*

*VIII. Locus Nicolai illustratur & explicatur. Dionysius Exiguus sua attestazione docuit fixam fuisse illam dignitatem, cum dixit Thessalonicensem antistitem semper implevisse vices apostolice sedis.*

*IX. Istud ipsum probatur ex comparatione dignitatis quam Archiepiscopo prima Iustiniana conciliavit Imperator Iustinianus ad exemplum ejus potestatis quam Thessalonicensis obtinebat in Illyrico.*

**I. SUPEREST** itaque ut investigemus an vicaria illa Thessalonicensium Episcoporum dignitas data fuerit Ecclesie, an verò personalis tantum fuerit. Difficilis sanè quaestio, quae manifestis argumentis solvi non potest, & cui vix tenuem faciem præferunt vetera monumenta. Si quid in re adeo antiqua valere posset auctoritas Ivonis Episcopi Carnotensis, uno verbo confici res posset. Hic enim apertè scribit auctoritatem quae Thessalonicensi Episcopo tanquam sedis apostolice Legato data fuerat, personale privilegium fuisse, non generale decretum. *Personale hoc fuisse intelligimus privilegium,* inquit, *non generale decretum.* Contra, nonnulli viri celeberrimi hoc nostro seculo censuerunt sic concessum fuisse privilegium ut revocari non posset, ita ut quicumque Thessalonicensis Episcopus esset, is Legatus natus esset Romani Pontificis, ejusque vices

ratione suae Ecclesiae gereret in Illyrico. Inquirendum igitur est in antiquitatem, & abique ullo præjudicio quaerenda veritas; præsertim cum stabilita semel auctoritate Episcopi Thessalonicensis in Illyrico, facilis hinc descendens sit ad Episcopos qui eadem vel simili potestate ornati sunt in aliis regionibus, præcipuè verò ad Arelatenses.

**II.** Sed antè quam ad rem ipsam veniamus, sic statuendum est, privilegium personae datum, personale vocari, & extingui cum persona; adeoque si cuiquam Episcopo vices apostolice sedis ita committantur ut non loco sed personae dicantur esse tributae, privilegium illud pertinere non potest ad successorem. Hanc regulam debemus sancto Gregorio: qui vices suas per Siciliam delegans Maximiano Episcopo Syracusano, ait se id tribuere personae ejus, non loco, id est, Maximiano, non Ecclesiae Syracusanae, ne successores ejus illud privilegium sibi postea vindicarent quod in persona Maximiani coepisset: *Quas videlicet vices,* inquit, *non loco, sed personae tribuimus; quia ex transacta in te vita didicimus quid etiam de subsequenti tua conversatione praesumamus.* Ex hac regula aliam quoque, quae magni momenti est in hac causa, colligimus, nempe vicariam illam auctoritatem, quae uni cuiquam Episcopo tribuitur, perpetuam esse, & ad omnes aequè successores pertinere, si Pontifex in rescripto non expresserit eam non loco sed personae datam esse, tunc quippe datam Ecclesiae intelligendum esse, adeoque singulis Episcopis qui ejus Ecclesiae administrationem gesserint, cum expressis verbis ad unum non coercetur; ita tamen ut istiusmodi privilegium innovatione interdum indigeat, si ea fuerit Ecclesiarum consuetudo. Præterea certum est consuetudinem bonam obtinere vim legis, & quae ab aliquo usurpantur secundum veterem consuetudinem, rectè praesumpta videri. Itaque si ostendere possumus vicarium apostolice sedis tributum fuisse Ecclesiae Thessalonicensi, ita ut quicumque ad eam cathedram pervenisset, is quoque ex eo esset Romani Pontificis Vicarius in Illyrico, soluta erit omnis controversia, constabitque privilegium illud ad unumquemque Episcopum pertinuisse jure ac privilegio sedis suae. Istud verò probaturum me esse confido auctoritate epistolarum veterum Pontificum Romanorum quae superioribus annis Romae editae sunt à clarissimo viro Luca Holstenio inter Acta Concilij Romani sub Bonifacio secundo celebrati. Scio eum ex epistolis illis collegisse vicariam illam dignitatem non loco, id est, Ecclesiae, collatam fuisse, sed personarum meritis. Verum rectè hinc quoque

Tvo epist. 19.

Mitra lib. 7. de concord. cap. 17. §. 7. & in libro de Primat. §. 46. c. 10. Fr. Florent ad Tit. de elect. & elect. puzell. pag. 191. R. P. Chifflet. in Notis ad Vigil. Tapf. pag. 44.